AUTHOR:

HABRUCKER, PAULLUS

TITLE:

QUAESTIONUM ANNAEANARUM...

PLACE:

REGIMONTI PRUSSORUM

DATE:

1873

Master Negative #

91-80084-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG91-B45271          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG91-B45271    RTYP:a    ST:p   FRN:     MS:        EL:        AD:04-29-91
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?   MOD:     SNR:       ATC:       UD:04-29-91
  CP:nyu     L:lat     INT:?    GPC:?   BIO:?    FIC:?      CON:???
  PC:r       PD:1991/1873       REP:?   CPI:?    FSI:?      ILC:????  MEI:?   II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:         COL:       EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 10   Habrucker, Paullus.
  245 10   Quaestionum Annaeanarum Capita IV‡h[microform].
  260      Regimonti Prussorum,‡bsumptus fecerunt librarii academici Schubert & S
         eidel,‡c1873.
  300      40 p.
  LDG      ORIG
  QD       04-29-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB


DATE FILMED: 7-1-93 INITIALS: M G Y


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202








Centimeter



Inches







QVAESTIONVM ANNAEANARVM CAPITA IV.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE ALBERTINA REGIMONTANA
RITE OBTINENDORVM CAVSSA

DIE XX. MENSIS MARTII ANNI CIƆIƆCCCLXXIII.
H. XII.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

F. G. PAVLLVS HABRVCKER
GVMBINNENSIS.

ADVERSARIORVM MVNERE FVNGENTVR

RVDOLFVS KROEHNERT, DR. PHIL.
LVDOVICVS SELKE, PHIL. ET THEOL. STVD.

REGIMONTI PRVSSORVM
SVMPTVS FECERVNT LIBRARII ACADEMICI
SCHVBERT & SEIDEL.
CIƆIƆCCCLXXIII.

HENRICO JORDANO

HAS STVDIORVM PRIMITIAS

D. D. D.

AVCTOR.

Praefationis liceat mihi opportunitate uti priuatis scribentium curis antiquitus constituta ut quae ratio sit quodque consilium huius dissertationis, paucis explicem.

Ecce fructus, lector benevole, studiorum meorum Annaeanorum in quae per biennium fere pro uiribus incumbebam. Quae mihi digna uidebantur ut in publicum ederentur, hoc fasciculo nunc sum complexus.

Atque in primo quidem capite in codicum rationes inquisiui remque ita institui, ut quae aut constare inter omnes mihi uidebantur aut quae cum Richtero Peiperoque mihi conueniebant, iterum non recoquerem. Itaque praesertim de *fonte* fabularum recensionum E et A et de codice *Vindobonensi* uerba feci. Nimirum B. Schmidtii uestigia, qui iam Richteri Peiperique opinionem iure ac merito castigauit, pressi. Verumtamen Schmidt quoque hic uel illic errasse mihi uidebatur. Qua de causa non inutile duxi hanc meam de hac re opinionem in medio ponere.

Capite altero mira illa *Phoenissarum* fragmenta aggressus sum. A Senecae certis legibus dramaticis proficiscenti duas fabulas restituere mihi contigisse puto. Eandem rationem in quaestione de *Agamemnonis* et *Herculis II* origine diiudicanda iuii, quia ea quam Richter ingressus est uia ad finem nos ut perueniamus, fieri posse nego. Atque hoc effecisse mihi uideor Agamemnonem esse genuinam Senecae fabulam, contra Herculem II. qualis nunc uulgatur a Seneca abiudicandam esse.

Capite quarto corruptos quosdam locos fabularum emendabam.

Hanc uero dissertationem iam conscripseram, cum a librario meo *Sandströmii* libellus qui inscribitur '*de L. Annaei Senecae tragoediis commentatio*' (Upsala Uniuersitets Arsskrift 1872. Philosophi Sprakvetenskap och Historiska uetenskaper II.) afferebatur. Summa huius commentationis uertitur in explicandis singularum fabularum rationibus atque in comparandis Senecae fabulis cum Graecis. (cf. pag. 3.) Verumtamen quae ipse de hac re disputaui (pag. 31ss.) obsoleuisse negauerim. Nam primum prorsus abhorret uia meae disputationis ac ratio a Sandströmiana, deinde quae Sandström de Phoenissarum fragmento et de Hercule II. et Agamemnone disseruit, lacunosa ac manca sunt.

Quae cum ita sint, quae de arte dramatica Senecae et compositione exposui, etiamnunc retinenda esse putaui.

Haec habui quae dissertationi praefarer. —

Dabam Regimonti Prussorum d. XXII. M. Februar. MDCCCLXXIII.

CAPVT I.
De L. Annaei Senecae fabularum codicibus.

A.

ANNAEANA criticorum studia in tres[1]) aetates digerere possumus. Prima aetate ab anno MCCCCLXXXIIII°[2]) usque ad J. Fr. Gronouii tempora si quis L. Annaei Senecae fabulas emendare studebat, ei modo codices mss. deprauati atque temere interpolati praesto fuerant[3]). Illi demum uiro cum Florentiae anno MDCXXXX° commoraretur (cf. praef. edit. a. MDCLXII), nouum codicem manuscriptum in lucem protrahere contigit, codicem dico Florentinum siue Etruscum (Montfaucon p. 316ª Bandinius plut. XXXVII. 13) saec. XI uel XII exaratum. Gronouius uir ingenio acutissimus statim hunc codicem omnibus ceteris meliorem esse[4]) intellexit eumque in editione a. MDCLXI emendandis Senecae fabulis adhibuit[5]) eiusque opera multos ante corruptos uersus emendatiores constituit. Ab hac igitur editione altera nascitur aetas.

1) 'Index edit. trag. lat. in quattuor aetates digestus' qui extat in edit. Bipont. Senec. trag. 1785. praef. pag. IX.—XIX. sine certa ratione compositus est.

2) de edit. princ. anno et loco nihil constat; prodiit sine anno et loco. Schweiger (handb. dr. cl. bibl, II.² pag. 936.) a. 1484 Ferrariae editam esse contendit, in indice ed. Bip. a. 1481 notatus est.

3) Memoria sunt dignae editiones haece: ed. Aldina 1517. (per Hieronymum Auantium) qua hodie recensio A repräsentatur; ed. J. Lipsii Lugd. Bat 1588 qui primus codicem Melisseum — nunc deperditum — negotio critico adhibuit; ed. J. Scaligeri 1611.

4) *aureum illum codicem* appellat cod. Flor. edit. a. 1662 pag. 167.

5) in eundem codicem postea incidit N. Heinsius.

Praeter duas Gronouianas editiones (a. MDCLXI[1]) et LXXXII)[2]) nihil fere memorabile est. Nam proxima post Gronouium aetate critici aut Gronouii uestigia seruili modo premebant aut Florentini codicis auctoritate temere neglecta iterum ad deteriores codices descendebant. Solus Fr. H. Bothe[3]) laudandus est, qui in editione a. MDCCCXVIIII Jacobi Gronouii codicillis — a Dietzio ei magna liberalitate in usum traditis[4]) — utebatur passimque locos corruptos coniecturis emendabat.

Tandem duorum fere saeculorum spatio interiecto hac in re longius processimus.

Anno huius saeculi LX° Bernardus Schmidt libellum qui inscribitur '*de emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis*' emisit, a quo nouam — id est tertiam — Annaeanorum studiorum aetatem incipere iure meo contendere mihi uideor.

Primus[5]) enim Schmidt „*omnem artem criticam in Senecae tragödiis factitandam ab accurata rerum prosodiacarum et metricarum obseruatione proficisci eaque tanquam fundamento niti debere*" intellexit (l. l. pag. 5) rationesque prosodiacas et metricas subtilissime perscrutatus est. Atque idem duo codicum genera discernenda et hanc esse summam negotii critici normam statuit, ut a codicis Florentini parte stemus quam diu

---

1) repetita est haec editio a MDCLXII.

2) a Jacobo Grononio J. J. F. aucta passim et emendata.

3) Schroederi editio (a. MDCCXXVIII.) ceteris praestat locupletissimo *indice uerborum et locutionum* (CVII. pag.), ceterum nullum fere fructum ex hac editione capere possumus. idem ualet de Badeni editione a. MDCCCXXI.

4) cf. praef. ed. a. MDCCCXVIIII. nunc sunt illae schedae Berolini inter mss. Dietziana B. Sant. 154.

5) Perpauca iam antea A. Lange in *quaestionibus metricis* (Bonnae MDCCCLI. sed.) explicuerat, sed haud accurate. Qui post Schmidtium de rebus metricis. Senecae scripsit, M. Hoche uix dignus est qui commemoretur. Nam quae fanae extant obseruationes, eas ex Schmidtii dissertatione sumpsit; quae ipse ecit, falsa sunt. cf. cens. Luc. Mülleri quae extat in Fleck. annal uol. LXXXVIIII. et Schmidtii obseru. crit. pag. 3. — Neque multo maioris est pretii. R. Peiperi 'Obseruat. in Sen. trag. libellus' (progr. gymn. Vratislauiae a. 1863 ed.) Contra multum proficere ad recensendas Senecae fabulas L. Mülleri librum de re metrica nemo nescit —

possimus; tum demum ad ceteros codices confugiendum esse, si codex Flor. nos dereliquerit (l. l. pag. 2. s.).

Sub secuti sunt Gustauus Richter et Rudolphus Peiper, qui in nuperrima Senecae fabularum editione (a. MDCCCLXVII) multam nauauerunt operam, ut quae mutuae cunctorum codicum rationes essent, quae singulorum condicio, patefacerent.

Atque de codicibus hodie haec satis constare uidentur: duplici recensione altera meliore atque emendatiore (littera E notata ab editoribus), cuius princeps est cod. Flor.[1]), altera deteriore (littera A not.) nobis esse seruatas L. Annaei Senecae fabulas; meliores esse notae excerpta cod. Thuanei et codicem Florentinum, deterioris quotquot restant codices, quorum optimi existimandi sunt codex Melisseus et cod. Vossianus nunc quidem deperditi. Contra falso hoc in numero cod. Vindobonensem ab editoribus putari statim (pag. 15) demonstrabo. —

Neque minus patet recensionem A. non ex recensione E. manasse, primum quod in codice Florentino (principe recensionis E) fabula illa praetexta quae 'Octauia' inscribitur, deest, deinde quod in Hercule altero qui uulgatur 'Oetaeus', cod. Florentinus lacunosus est, cum codices recensionis A. has lacunas expleant (cf. H II. 182—228. 410—42. 1274. 1568—1660. 1700. 1758. 1760. 1812—15)[2]), tum quod tot tantaeque discrepantes scripturae in duabus recensionibus extant, tum quod in codice Flor. alius est ordo fabularum atque in ceteris.

Quibus disertis argumentis alteram ex altera recensione non manasse quamquam demonstratur, tamen negari nequit utramque recensionem ad unum eundemque fontem redire. Quod eo — ut unum tantum afferam — efficitur, quod utraque recensio in *eisdem grauibus corruptelis ac uitiis consentit*

---

1) Quamquam editores summam esse auctoritatem cod. Florentini recte contenderunt, tamen saepissime sine ulla caussa ac ratione cod. Flor. scripturas neglexerunt; qua in re eis accidit ut bis in Senecae leges metricas peccarint. cf. Hf. 1291 et B. Schmidt Fleck. annal. Vol. XCVII. p. 871. Oed. 963. et L. Müller d. r. m. pag. 339.

2) ceterarum fabularum omissi sunt hi uersus: Hf. 89. Thy. 353—5. Ph. fr. u. 153—4. (nate-soles) Med. 300. [in numeris uersuum ascribendis constanter editionem Richteri Peiperique secutus sum.]

ita, ut iam in fonte harum recensionum illos locos deprauatos extitisse putare cogamur. Sic Thy u. 101. 2. E et A ineptam praebent sententiam:

'non ad inferna styga
Te nosque mergis' e. q. s.

Correxit B. Schmidt scribendo (Obs. crit. pag. 9): *'tenebrasque'*.

Hf. 709 perperam et in E et in A legitur: *'cuncta maerore horrida'*, pro quo scribendum est *'paedore'* (cf. O u. 637. paedore horridus, Hf. 632 paedore obsiti, Ag u. 1049 paedore obruta.)

Hf. 581 et E et A exhibent:

'Deflent Eurydicen threiciae nurus' quae scriptura haud dubie falsa est; nam cur 'threiciae nurus' commemorentur non perspicitur. Scribendum est cum Peipero *'taenariae nurus'*.

Hfu. 912. Inepta scriptura et in E et in A extat:

'Quicquid Indorum seges
Arabesque odoris quicquid arboribus legunt'

Medelam huic loco B. Schmidt adhibuit, qui coniecit *'Indi aruis secant'* (de emend. p. 76. et obs. crit. pag. 19).

Atque etiam temere interpolati uersus utrique recensioni communes sunt.

Sic in Hercule furente inde a uersu 336 haec leguntur:

Urbis regens opulenta thebanae loca
Et omne quicquid uberi cingit solo
Obliqua Phocis, quicquid Ismenos rigat
339 *Et bina scindens exilis Isthmos exilis freta*
340 Quicquid Cithäron uertice excelso uidet
possideo e. q. s.

Siue ante uersum 340 (ut in E) siue post uersum 340 (ut in A) legitur uersus 339, nusquam sanam praebet sententiam.

Nam neque *'rigat'* neque *'uidet'* de Isthmo dici potest. Huc accedit quod Isthmum Lycus in ditionem suam non redegerat. Tyrannus erat Thebarum et Boeotiae, non Isthmi Peloponnesiaci. Apertum est u. 339 codicis archetypi margini ascriptum esse, unde facile diuersa sedes in recensione E et A expeditur.

Porro interpolatorem produnt Herc. fur. 827 (cf. Bothe Sen. trag. I pag. 125 et Richter Mus. Rh. vol. XVIII pag. 42.)

Hf. 743—49 (cf. Schmidt Fleck. ann. uol. XCVII pag. 865 annot. 22) et 1110—11 (ib. pag. 868.). Phäd 269 (cf. Richter Mus. Rh. l. l. pag. 46 et L. Müller d. r. m. pag. 265 et Fleck. annal. uol. LXXXVIIII pag. 480) multique alii loci, quos enumerare longum est. Conferas uelim quae cap. IIII huius commentationis disputaui. —

Omnibus his ex exemplis quae attuli, cum ad communem fontem utramque recensionem redire, tum maxime hunc fontem iam nube ineptarum interpolationum oppletum, corruptelis infectum esse conligere nobis licet.

Tempus autem quo hic fons ortus sit, etsi certis circumscribere finibus non licet, tamen coniectando assequi possumus.

Recensionem enim A, quamquam omnium qui quidem hodie extant, huius recensionis nullus codex saeculi XIIII fines excedit (cf. praef. edit. pag XIIII), tamen iam multo prius factam esse testantur folia illa rescripta saec. V uel VI (a Ritschelio in palimpsesto Plautino reperta[1]), quippe quae maximam partem cum libris recensionis A consentiant (ib. pag. IIII et XXII).

Alterum uetustatis recensionis A testimonium est quod Boetius Senecam imitatus (phil. cons. III 12. 26.) scripsit: *'deflet Taenara commouens'*.

Ante oculos Boetio uersabatur Senecae H. II u. 1068, quem A sic exhibet: *'cantu tartara flebili et tristes Eribi deos mouit'*, cum E praestet *'uidit'* (u. Boet. phil. cons. libb. V. ed. Peiper MDCCCLXXI pag. 231[2]). Sed artioribus finibus originem recensionis A nobis licet circumscribere. Afferuntur enim apud Lactantium ad Statii Thebaidis lib. III. u. 530 Senecae Thy. uu. 342—52. Versu 347 cum Lactantius

1) cf. Diar. Stud. aut. a. MDCCCXXXVII. Nr. 92. pag. 795. = Opusc. phil. II. p. 178. uarias lectiones notauit in Mus. Rhen. uol. I. pag. 66. annot. 3. = Parerg Plaut. p. 303.

2) Claudianus exemplar recensionis E ante oculos habuisse uidetur Vide Sen. Phäd. 457. nunc cursus rape (luxus A.) Claud. in Eutr. I. 271. rapit coeli per inania cursum. Sen. Troad. 252. saeua (uersa A.) Amazon. Claud. XI. 33. saeuas Amazonas. Hf. 306. longas Eleusin tacita iactabit faces (A. Eleusi.) Claud. d. r. Pros. sanctasque faces attollit Eleusin.

'*trabes*', scripturam recensionis A, non '*fores*' quod in E legitur, exhibeat, exemplari recensionis A usus esse proditur. Lactantium autem si minus aequalem, at certe haud multum actate minorem Seruio fuisse scimus (A. Schottky de pretio Lactantii commentarii in Statii Thebaida et de nomine etc. diss. inaug. [Vratisl. a MDCCCXLII edit.] pag. 39). Cum uero Seruius exeunte saec. IIII ineunte saec. V Valentiano iun. Theodosio Honorio imperatoribus uixerit (Teuber de Mauri Seruii Hon. uita et commentariis partic I pag. 7 [diss. inaug. Vratisl. a MDCCCXLIII ed.]), Lactantium c. intra annos CCCXC—CCCCXXX floruisse uerisimile est. Itaque ineunte saeculo V uel exeunte saeculo IIII factam esse recensionem A necesse est. Atqui auctor recensionis A archetypum iam deprauatiorem — nouis interpolationibus oppletum, multisque locis scriptura aut ad legendum difficili aut prorsus oblitterata (cf. praef. edit. pag. XV)[1]) — quam auctor recensionis E ante oculos habebat. Igitur recensionem E saeculo fere et dimidio prius ortam esse oportet. Quodsi recensionis A originem intra annos CCCL—CCCC ponimus, circiter intra annos CC—CCL recensio E facta est. Cum uero iam is qui recensionem E fecit, codice archetypo non incorrupto, sed, ut supra (pag. 6 ss) ostendimus, interpolationibus ac corruptelis infecto[2]) usus sit, probabile mihi uidetur, codicem archetypum saec. II (fortasse CL—CC) exaratum esse[3]).

Ultra progredi nobis non licet, sed:
est quadam prodire tenus, si non datur ultra.

Neque uero hunc communem fontem Senecae ipsum chirographum '*satis incompositum festinanterque scriptum et crebris locis inculcatum refectum lituris plenum*' ut uolunt Richter et Peiper (cf. praef. pag. V. VI.), fuisse euinci potest.

Primum argumentum quod ut opinionem obtineant, Richter

1) Accesserat Octauia. Nam Octauiam medio quod fertur aeuo, ut uult Braunius (de praet. Octauia Kiel 1863) factam esse non posse inter alia et hoc demonstrat quod iam Boetius Octauiae quosdam uersus in carmina sua transtulit (cf. Boet. phil. cons. libb. V. ed. Peiper pag. 228.).

2) praeterea bis singulorum quaternionum iacturam fecisse cod. archetypum persuasum habeo (cf. pag. 50. et 75.)

3) haec mea ratiocinatio aliquantulum discrepat cum editoribus (Fleck. ann. XCVIIII. praef. p. XV.).

et Peiper afferunt, est hoc quod tanta multis locis extat diuersitas lectionum, ut duplicem in codice archetypo fuisse lectionem necesse sit. Cuius rei testimonia afferuntur haec (praef. pag. V):

E.	A.
Phäd. 831. deformis senis monstret imaginem.	deformis senis limina transeat.
ib. 348. uenere instinctus suscipit audax grege pro toto bella iuuencus.	uenere instincti quam magna gerunt grege pro toto bella iuuenci.
Hf. 36. patrem probaui gloriae feci locum qua sol reducens quaque reponens diem.	patrem probauit inde qua lucem premit aperitque Thetis qua ferens Titan diem.
Hf. 625. nocte sic mixta solet.	tale non dubie solet,
Hf. 627. teneone in auras editum an uana fruor?	uerumne cerne corpus an fallor tua?
O. Fr. 327. scelus	nefas.
Thy. 347. fores.	trabes.
Thy. 610. extimescit.	expauescit.[1])
Thy. 1048. detur uia.	demus uiam.
Phän. Fr. 154. suspensae.	sollicitae.
Phöd. 283. moderatur.	iaculatur.

Ac primum quidem dicendum est Richterum Peiperumque paria imparibus miscuisse. Etenim si contendunt (praef. pag. VI): '*haec et quae sunt similia, adparet ita non posse explicari, ut altera scriptura ex altera aut deprauata aut librarii libidine mutata aut interpretandi caussa adscripta esse dicatur*', hoc eis de ultimis quattuor exemplis concedi non potest. Secernenda sunt haec exempla quippe quorum natura prorsus alia sit ac priorum.

Jam B. Schmidt in censura editionis (Fleck. annal. uol. XCVII pag. 781 ss), lectionis Thyestis uu. 610[2]) et 1048 non tantam esse diuersitatem ut non altera scriptura ex altera deprauata esse possit, recte monuit.

1) sic praef. pag. V; edit. pag. IX. legitur in annot. crit. extimexit A. expaucscit E.

2) Thy. u. 610 cum A. legendum est, extimescit. Nam dici potest latine extimesco quid ab aliquo (etwas von jemandem mit Furcht erwarten) non expauescere quid abquo, sed tantum exp. aliquid uel. ab aliqua re uel. ad aliqrem. Senecam non memini aliter scripsisse atque expauescere quid. cf. Oed. u. 27. 342. de prou. IIII. 6. ed. Haase; epist II. 1. 13. ed. Haase. Thy. u. 40. et expau. ad aliquid cf. ep. 56. 13.

Nec magis duobus illis uersibus ex Phön. frag. et Phäd. haustis (Phön. Fr. 154, Phäd. 283) credere cogimur iam in archetypo utramque scripturam extitisse. Potius uerisimilius est auctorem recensionis A. Annaeano genere dicendi[1]) parum intellecto pro inusitatioribus usitatiora uerba his quoque locis posuisse, quod aliis locis fecit. Mutasse enim auctorem recensionis A, quae in archetypo extabant, ubi aut sententiarum conexum aut ambitum uerborum ampliorisue structurae compagem mente non comprehenderat, aut in inusitatioribus uerbis offendebat aut constructionibus, aut Annaeanam elocutionem perspectam non habebat, et uersus quos corruptos – reuera autem incorruptos — existimabat, emendasse — atque haec omnia ex arbitrio ac libidine — si quis apparatum criticum editorum oculis perlustrauerit, statim uidebit[2]). Sic e. g. Hf. u. 501:

'*et nuptiales impii Oedipodae faces*
nunc solita uestro fata coniugio date' sententia uerborum non perspecta pro '*uestro*' scripsit '*nostro*'.

Item Hf. u. 133 uerborum constructione non intellecta pro:

'*Jam caeruleis euectus equis* (*sic E*[3])
Titan summa prospicit Oeta'

descripsit — '*Titan summum prospicit Oetan*'.

Pariter Hf. u. 919 non intellegens Theseum adloqui Herculem '*TV*' in '*DI*' mutavit, ut sic euaderet uersus prorsus inepte:

'*Di coniugales urbis et siluestria*' e. q. s.

Singulare est inscitiae auctoris recensionis A exemplum praebent Hf. uu. 1006–12 quos ineptissimis conjecturis foedauit. Versu enim 1006 pro '*perlucet*' exhibet A '*procumbat*' et pro '*tecta madent*' (u. 1012) '*terra madet*'. Vides, minime perspexisse auctorem recensionis A horum uersuum sententiam[4]).

Ubi in inusitatiore uerbo aut Senecae propria uoce offendebat, statim hoc emendandum censuit, e. g. Hf. u. 1017 singularem numerum '*latebram*' in pluralem '*latebras*' mutauit[1]); Hf. u. 1153 '*oberrat oculis meis*' perperam correxit in '*ob. oculos meos*' et quae sunt similia. Huc reuocandi sunt Phön fr. u. 154 ubi pro '*suspensae*' usitatius illud '*sollicitae*' et Phäd. u. 283 ubi pro '*moderatur*' substituit '*iaculatur*'. Adde Hf. uu. 846. 1329.

1) de Annaeano usu uocis pendendi cf. Gron. ad Phön. 516. (154. ed. R. P.)

2) Largiuntur hoc Richter Peiper cf. praef. pag. XVI.

3) lege cum Gronouio 'aquis'.

4) Primus B. Schmidt hos de quibus disputamus uersus recte interpretatus est (obser. crit. pag. 20.).

Proxima quaeque tantum, non totum uerborum ambitum circumspiciens, quae corrupta — reuera integra — ei uidebantur, non dubitauit emendare.

Sic Hf. u. 1300 genuinam scripturam '*onus omne media parte quod mundi sedet*' temere in '*o. o. m. p. qua mundus sedet*' mutauit.

Simili modo Hf. u. 263 ubi '*terra quem dominum tremis*' in '*t. q. d. tremit*' corrumpit.

Hf. u. 478 cum praecederet '*sparsisse*' scripsit '*uibrasse*' pro '*uibrare*'.

Alia sunt huius rei exempla Hf. uu. 737. 838. 878.

Sed haec hactenus. Restant nunc septem loci, de quibus quamquam editoribus concedendum est, lectiones eiusmodi esse, ut non altera ex altera scriptura aut deprauata aut interpretandi caussa ascripta esse possit, tamen nos cogi his locis, ut codicem archetypum duarum recensionum pugillares poetae ipsos fuisse credamus negandum est.

Ac primum quidem ualde mirum esset — ut archetypus esset exemplar poetae — auctorem recensionis E semper bonas ac sanas lectiones, contra auctorem recensionis A semper prauas et falsas exhibuisse[2]). Quodsi factum esse Richter contendit (Fleck. annal. uol. XCVIIII pag. 778), quod auctor recensionis E uir erat maiore ingenii acumine, subtilioreque atque elegantiore iudicio, quam successor eius auctor recensionis A, etiamsi libenter hoc concedimus, tamen hac interpretatione omnia enucleari negamus. Nam si poetae chirographum tot lituris infectum erat, ut contendunt editores, quomodo fieri potuisse putemus, ut auctor rec. E, quamuis acerrimus fuerit, semper id ipsum

1) singularis numerus uocis 'latebrae' saepe inuenitur apud Senecam cf. Hf. 1342. Oed. 366. H. II. 1268.

2) perpauci sunt loci ubi A ueram poetae manum retinuit cf. B. Schmidt. l. l. pag. 784.

quod Seneca lectum esse uolebat, cognoscere posset? Sunt enim loci quibus utra ex duabus scripturis uera sit, non liceat etiam hodie argumentis e re ipsa petitis decernere, nisi auctoritas recensionis E multis locis comprobata accedat. Quanto difficilius hoc auctori recensionis A, quem tam exigui ingenii uirum cognouimus!

Accedit autem alterum quod quominus de duplici in archetypo scriptura credas, impedit. Omnibus enim locis ubi duas lectiones in archetypo extitisse scimus (cf. pag. 16), recensio E semper fere has duas lectiones seruauit, cum A modo unam modo duas, nunc genuinam uocem nunc glossema retinuerit. Cum uero his, de quibus disputamus et qui sunt similes, locis in recensione E nec uola nec uestigium duplicis lectionis extet, non uereor ne mihi non concessurus sis originem scripturarum Phäd. u. 348. 831. Hf. 36. 627. 625 Thy. 347 Ofr. 327 auctori recensionis A, non Senecae deberi.

Supra uidimus saeculo fere et dimidio posterius recensione E librum primum recensionis A exaratum esse. Quid igitur naturae rerum magis consentaneum est quam ut multis locis codicis archetypi scriptura aut ad cognoscendum iam difficilior fuerit aut prorsus nescio quo casu euanuerit? Talibus uero locis auctor recensionis A., cuius libidinem in exarando suo codice iam supra cognouimus, aliud quid substituit. Interdum originem scripturae recencionis A. agnoscere possumus. Sic facile fieri poterat, ut auctor rec. A. e. g. Hf. u. 242 pro 'LATAM', si prior pars uocis euanuerat, 'etiam' describeret. Item Thy. 630 et Ofr. 52 si singulae litterae oblitteratae erant, genuina scriptura 'IACET' et 'TIBI' in 'PATET' et 'TVI' corrumpi potest. Plerumque autem locis quos legere non poterat, ex arbitrio et pro prudentia sua quid substituit, quod aliqua ex parte sententiae respondebat neque metro repugnabat. Singulare est huius rei exemplum Phäd. u. 348. In archetypo uerba 'suscipit audax' euanuerant, quam lacunam uerbis 'quam magna gerunt' quae sententiae horum uersuum sufficiunt, etsi multo languidiora uera poetae manu sunt, expleuit. — Huius generis exemplorum magnum cumulum coaceruare possum; sed satis erit perpauca subicere:

Vide exempla qualia hunt haece:

E.	A.
Hf. 12. ferro minaci.	fera coma.
„ 216. uacat.	datur.
„ 284. nulla si retro uia — est.	nulla si uetito uia — est.
„ 442. quo patre genitus caelitum sperat domos.	q. p. g. caelitum penetrat domos.
„ 803. tegit.	clepit.
„ 985. alta Pallene tremit Macetumque Tempe.[1]	a. P. tr. marcentque T.
O. fr. 79. tantis in malis uinci mori est.	tantis in malis uinci malum.
„ 108. facietubicumqueest opus.	f. u. est scelus.
„ 197. est. nemo contempsit mori.	est. uelle contemp. mori.
Ph. fr. 75. uibrata dextra tela suspensa tenent.	uibrata telacontinent dextra sua.
Oed. 293. tremulo tardus accelerat genu.	tremulo tardus accelerat gradu.
Med. 55. scelere linquenda est domus.	se. linquatur d.
„ 266. Tutu malorum.	Sed tu malorum.

Conferas praeter hos locos Ag. uu. 38. 84. 163. 221. 241. 255.298.299. 865.

Haec exempla quae accumulaui, si quis oculis perlustrauerit, scripturas quas A praestat, plerumque futiliores atque aridiores languidioresque sunt quam ut Senecae tribui possint, cum fugere non potest[2]. Quin etiam scripturae recensionis A interdum prorsus ineptae sunt. An censes Senecam scripsisse e. g. Hf. u. 442: '*quo patre genitus caelitum penetrat domos*' aut Ofr. 108: '*faciet ubicumque est scelus*' aut ib. 197. '*uelle contempsit mori*' aut Oed. 293: '*tremulo accelerat gradu*' et quae sunt similia? Equidem tales ineptias in Senecae schedis extitisse ut credam, numquam a me impetrabo. —

Jam uero minime Senecae chirographum extitisse quo om-

1) cf. Gron. ad. h. l. et Schmidt. cens. pag. 787.

2) e. g. Hf. 627. 675. 442. Med. 206 Phön. fr. 75. omnibus his loci scripturas rec. A non genuinas, sed uicarias tantum, ut nos dicimus 'Lückenbüsser' — esse quas auctor rec A quia scriptnras cod. archetypi legere non poterat, substituit, in promptu est.

nes fabulae continebantur, quoniam singulas fabulas diuersis temporibus emissas esse notum est. (cf. praef. ed. pag. V et suppl. praef.). Adde quod etiamsi hoc largiamur, haud quamquam probabile est, tum cum recensio A facta est (cf. pag. 7) illud chirographum extitisse. Jam dudum meo quidem sensu illos Senecae codicillos tineae ac situs occupauerant. Illud quidem leue est sed non prorsus praetermittendum tamen, quod cur iterum ad codicillos Senecae tam lituris infectos ac deprauatos descendatur, cum melius ac facilius ad legendum fabularum exemplar extet, non perspicitur (cf. B. Schmidt l. l. pag. 790.).

Quae cum ita sint, iure meo contendere mihi uideor, omnibus quos tractauimus locis scripturas, quas recensio A praestat, non Senecae in schedis iam extitisse, sed demum auctori huius recensionis originem debere (cf. pag. 21).

Transimus nunc ad alterum argumentum quod Richter Peiperque ex eo ducunt, quod haud raro librarius utramque lectionem archetypi — id est Senecae pugillarium — amplexus uidetur esse. Sunt autem hi loci (praef. pag. VI.). Legitur

Hf. 19 in E et A: *uetera sero querimur.*
688 in E: *errat ludit*; in A: *ludit.*
1157 in E: *cur en;* in A: *cur.*
Ofr. 47 in E: *recipe admitte;* in A: *recipe.* (sic editores, sed in A quoque leg. 'recipe admitte').
Phön fr. 51 in E: *concita cursu celeri gradu.*
in A: *concita celeri gradu.*
Med. 769 in E: *nemoris antiqui decus domus;*
in A: *nemoris antiqui domus.*

Quae si exempla examinaris, ilico uerba '*sero errat en admitte cursu decus*' pura puta glossemata esse intelleges, interpretandi caussa genuinis uerba ascripta uel suprascripta, scilicet in archetypo, quae duo auctor recensionis E quippe qui accuratior fuerit, depinxit, cum auctor recensionis A, ut erat magna neglegentia neque ulla fide aut religione ex arbitrio nunc unam tantum nunc duas uoces describeret. His igitur locis tantum demonstrari potest cum ex uno eodemque fonte et E et A manasse tum iam in archetypo ad singulas uoces glossemata interpretandi caussa

ascripta esse. Aliud huius rei testimonium est Thy. u. 9. ubi in E recte legitur '*aut poena Tetyi qui specu uasto patens.*'

Unus recensionis A codex (cod. Melisseus) exhibet metro repugnante:

a. p. T. qui specu uasto patens, semper accrescens iecur

ceteri eiusdem recensionis codices

a. p. T. semper accrescens iecur.

In promptu est in cod. archetypo ad uoces '*poena Tetyi*' ascripta esse interpretandi caussa '*semper accrescens iecur*'. Ascripserat fortasse librarius aliquis cui in mentem uenit Phaedrae illud (u. 1243): '*meumque poenae semper accrescat iecur*'.

Sed haec hactenus[1]). Satis demonstrasse mihi uideor et editorum illam de fonte recensionum E et A opinionem missam faciendam esse et aliter facilius discrepantem a recensione A scripturam recensionis E expediri posse. Ceterum conferas uelim quae B. Schmidt de hac editorum opinione disputauit, quocum in uniuersum consentio. Atque idem recte sensisse mihi uidetur miram hanc in coniecturam incidisse Richterum et Peiperum ut strophicae responsionis legem in quam Senecae tragoediarum et cantica et diuerbia cogebant, facilius tueri, libidinemque suam ac temeritatem excusare possent.

Sed de hac re hic agere animus mihi non est. Haud multo temporis spatio interiecto editorum opinionem falsam ac uanam esse me demonstrare posse spero.

B.

De pretio codicis Vindobonensis.

Codex Vindobonensis (in Endlicheri cat. sign. CCXI $\frac{61}{R\ 920}$ — cf. praef. pag. XXXIII.), quem Richter et Peiper primi negotio critico adhibuerunt, cum in ceteris fabulis libris cum uulgaribus consentiat, in Hercule furente multis locis cum recensione E conspirat, interdum peculiarem lectionem exhibet. Quamobrem Richter cum Peipero hanc codicis partem reuocandum esse '*ad tertiam quandam fabularum recensionem antiquissimis temporibus factam,*

1) de Phönissarum fragmento et de Actaeonis cantico (Oed u 772—84) uide pag. 21 et cap. IIII.

cuius praeterea nullum extet uestigium ideoque ad Herculem I. emendandum hunc codicem plurimum ualere, persuasum habent.

Duplex igitur quaestio exoritur, primum utrum codex Vindobonensis deterioris sit notae necne, deinde num tertiam quandam ab E et A discrepantem fabularum recensionem praestet. Quodsi nobis contigerit, ut codicem Vindobonensem deterioris esse notae euincamus, altera illa quaestio per se ipsa conruet.

Atque ut facilius primam quaestionem diiudicemus, locos quibus codex V cum E aut cum A consentit, ascribam.

Congruit autem codex V cum recensione E his locis:

Hf. 12 hinc terret $E^{1}V$.
,, 24 ortus EVψ[1]).
,, 30 que (*leg. quae*) EV ψ.
,, 62 thetra E tetra.
,, 67 I. ter EV.
,, 68 experto $E^{1}V$ ME (*id est Melisseus*).
,, 89 *omissus est in EV* (R^{1} T^{2}).
,, 117 hic EV ψ.
,, 134 bachis EV ψ.
,, 150 circa EV G.
,, 195 *post uersum 197* EV.
,, 229 pressus lacertis gemuit EV.
,, 242 latam EV.
,, 263 tremis E^{1} ϑ.[2])
,, 272 atque ophyonius cinis EV ψ.
,, 281 precor EV ME.
,, 294 efferens EV ME.
,, 306 iactabit EV^{1}.
,, 313 *continuatur scaena in* EVME.
,, 313 moveri EV Par. 8024.
,, 321 *assignatur Megarae* EV (Mog. IIII. Pal.)
,, 320 timoris $E^{1}V$.

Hf. 322 uim $E^{1}V^{1}$.
,, 337 ubere EVR.
,, 351 que abest EV. ducet et EVP.
,, 357 *te abest* EV ψ.[3])
,, 366 gerant EVME.
,, 374 *sociemur animis* E. V.
,, 442 sperat EVME.
,, 434 famulus est potior tibi EV.
,, 458 num EV ψ.
,, 464 non EV ψ.
,, 478 uibrare EV ψ.
,, 527 est, est E (*teste Gron.*) V.
,, 540 multis EV ψ.
,, 581 *iusto ordine legitur* EVME.
,, 601 archana EV.
,, 658 in pectore EV R.
,, 675 nocte sic mixta solet EV.
,, 683 *immensi* E. / immensi V. } sinus EV.
,, 687 incertis undis $E^{1}V$.
,, 691 lutifer EV.
,, 697 metusque EV.
,, 746 [4]) animaeque EVME ψ.

1) littera ψ discrepantes ab Aldina aliquot uel plurium librorum scripturas editores notarunt.

2) littera φ alteram cod. V. conlationem significarunt (cf. praef. pag. XXXIII).

3) quid u. 356 V exhibeat ex edit. app. erit. cognoscere non possum, adnotant enim haec: factum E'φ factum φA.

4) 751. adnotarunt editores: uestra *Eφψ* nostra *Aφ* item 878 carpit *Eφ* carpsit *Aφ*.

Hf. 772 longo portitor conto EV.
,, 772 umbras EV ME ψ.
,, 781 titubanti EVME.
,, 783 in bella EV ME.
,, 796 sedit EV ψ.
,, 803 tegit E ge tegit V.
,, 818 bono $EMEV^{1}$ ψ.
,, 819 uictus EV ψ.
,, 820 uictorem EV ψ.
,, 825 diem EV.
,, 838 es EV.
,, 840 nigra m. silua EV.
,, 844 ruit EV ψ.
,, 853 graditur EV.
,, 890 alluitur EV ψ.
,, 899 uictrice EV.
,, 908 uirente EV.
,, 915 exundet EV ME ψ.
,, 919 Tu EV.
,, 928 tuus EV ψ.
,, 946 quis EV.
,, 952 rapiat EV^{1}.
,, 953 rutilam EV.
,, 968 recipi sed EV.
,, 996 impegit EV ME (pr. m.)
,, 1004 deiecto EV.
,, 1012 tecta-madent EV ψ.
,, 1017 latebram EV.
,, 1018 infesto EV ψ.

Hf. 1025 occidat EV.
,, 1037 senior EV ME.
,, — obuium morti EV ψ.
,, 1052 portum EV.
,, 1056 graui EV.
,, 1080 *iusto ordine leguntur in* EV.
,, 1082 foue EV ψ.
,, 1124 graues EV.
,, 1130 sceuos EV.
,, 1153 oculis meis EV.
,, 1165 in foetu E in fetu V.
,, 1187 impotens E inpotens V.
,, 1195 tolerabit E tollerabit V.
,, 1215 uagetur EV.
,, 1224 attonito-carens EV.
,, 1228 cremo EV ψ.
,, 1230 et *omissum in* EV.
,, 1244 usquam EV.
,, 1247 furor recessit EV.
,, 1258 afflictis EV.
,, 1281 mouere EV ψ.
,, 1298 incident EV ψ.
,, 1300 quod mundi E V.
,, 1304 immisit EV.
,, 1316 fessam malis EV.
,, 1323 herculeus labor EV.
,, 1329 tellure obruar EV. Paris 8032. 33.

Cum A consentit codex V hisce locis:

Hf. 12 fera coma VA.
,, 13 aureas φA.
,, 20 Thebana nuribus sparsa tellus VA.
,, 36 Patrem probavit inde qua lucem premit VA.
,, 37 Aperitque Thetis qua ferens Titan diem VA.
,, 52 uinctum VA.
,, 76 iam lacera VA.
,, 96 veniat utinā (*in transfixa del* V). inuisum scelus VA.
,, 104 violate VA.

Hf. 109 furit VA.
,, 119 manum VA.
,, 133 summum VA. Oetan A (hoeta V).
,, 216 datur Aφ.
,, 228 cursu est Aφ.
,, 252 stabuli Aφ.
,, 240 quae A (que V).
,, 276 confregit AV.
,, 277 fieri AV.
,, 284 uetito AV.
,, 305 multa AV.
,, 306 iactabo $V^{2}A$.

Hf. 347 tenere te AV.
„ 359 obtectu AV.
„ 387 ex isto Aφ.
„ 457 erranti AV^2.
„ 464 exese AV.
„ 501 nostro Aφ.
„ 519 rogem AV.
„ 627 uerumne cerno corpus an fallor tua A.
Verumne cerno corpus an fallor ul'ta uides V.
„ 688 ludit AV.
„ 715 imo AV.
„ 737 auditur AV.
„ 811 tunc Aφ.
Hf. 830 herculea caput abscondit umbra AV.
„ 921 colis AV.
„ 985 marcentque Tempe AV.
„ 1006 procumbat AV.
„ 1023 Renuo AV.
„ 1083 devictum Aφ.
„ 1118 aether AV.
„ 1134 stitici loue corithi VA (A scythici).
„ 1157 cur Aφ.
„ 1205 neruum Aφ.
„ 1291 dentur AV.
„ 1306 corpusque AV.

Omnibus his locis religiose examinatis non poteris non mihi concedere, codicem Vindobonensem deterioris esse notae. Nam ubi auctor recensionis A, quae falsa ei uidebantur, emendabat (cf. pag. 10s) e. g. Hf. u. 119. 120. 136. 737. 830, ubi archetypi scripturas ineptis suis ac futilibus interpolationibus foedabat, (cf. uu. 12. 36. 37. 216. 501. 519. 627. 985. 1006. 1023.), ubi in scribendo errauit (cf. uu. 277. 305. 1083) omnibus his locis codex Vindobonensis cum A consentit. Quinetiam perpaucis illis locis, ubi recensio A ueram poetae manum sola retinuit (Hf. 20. 347.) codex V cum A conspirat, quod haud exigui esse momenti puto. Atque etiam cum reliquis recensionis A codicibus saepe ei conuenit. Vide:

Hf. u. 215 exeat Vψ.
233 menalum VR12 T.
270 recipit VR12.
285 interque VR10.
439 uirtus Vψ (uirtu || s T).
502 egisti VR.

Accedit quod Octania quoque in hoc codice extat.

Unde sine controuersia consequens est, ut codex Vindobonensis *deterioris* sit generis codicum Annaeanoram.

Quamquam negari nequit codicem V saepe cum recensione E consentire. Sed magnam partem his locis alii quoque codices recensionis A cum E concinunt. Grauiores momenti modo ei loci sunt, ubi

eadem quae recensio E errata (uide uu. 322. 351. 697. 952. 968. 1130. 1247.) exhibet. His consideratis sic de codice V statuendum esse censeo:

'Illam codicis Vindobonensis partem quae Herculem furentem continet, manasse ex meliore quodam libro recensionis A, passim at sine ratione ab librario aliquo ex exemplari recensionis E emendato.'

Ex *duobus diuersis* fontibus manasse cod. V ex eo iam efficitur, quod ordo fabularum in fronte libri alius est atque in libro ipso. Idem ualet de fabularum nominibus. In fronte libri V legitur (praef. pag. XXXIII) *Marcij. Lucij. Annej. Senece Cordubensis X Tragedie Hercules troades Phenissa Medea Phedra Edippus Agamemnon Thiestes Hercules Octauia Juno* (hanc uocem ab initio H. f. huc delatam esse monuit Schmidt l. l. pag. 794 ann. 18), quae inscriptio cum E concinit; in libro ipso hic est ordo fabularum: '*H. fur. Phoen. Hippolitus Oedipus Troades Medea Agamemnon Octauia Thyestes Herc. Oet.*'

Itaque B. Schmidtio assentire non possum qui codicem V ex libro aliquo rec. A, quod correctum erat multis H. furentis locis ex exemplari recens. E, manasse sibi persuasit. Mea coniectura omnes difficultates facilius expediri in promptu est.

Codex Vindobonensis ipse manum passus est librarii qui exemplar recensionis A ante oculos habebat eiusque prauas lectiones in codicem V transferebat[1]). Vide:

Hf. u. 306 iactabo AV^2 (V^{1}E iactabit).
457 erranti AV^2 (V^1 errantem).
782 uasta AV^2 (V^1 uecta E uicta).
818 bonos AV^2 (V^{1}E bono).

1) Item cod. Flor. ex exemplari rec. A emendatus est. Vide
Hf. u. 8 tepenti AE^2.
„ 12 fera coma AE^2 (E^1 ferro minaci).
hinc exterret AE^2 (E^1 h. terret).
„ 21 ascendat AE^2 (E^1 escendat).
„ 36 patrem probavit inde qua lucem premit AE^2 (E^1 eras).
„ 37 Aperitque Thetis qua ferens Titan AE^2(*E^1 qua sol relucens quaque reponens diem*).
„ 68 expenso AE^2 (E^1 experto).
„ 90 ferox AE^2 (x in ras).
„ 103 flagrante AE^2 (E^1 flagrantem).

fortasse u 112, ubi V uota iam, A *iam* odia et u 116 ubi A me pariter, V me uicit et se uincat.

pariter

Haec si recte disputauimus, consequens iam est, ut codex Vindobonensis, uel ille liber ex quo manauit, non ad tertiam fabularum recensionem redeat. Verum enim uero easdem interpolationes ac corruptelas, quas iam in archetypo extitisse supra uidimus, cum recensione E et A communes habet. Vide Hf. u. 239. 581. 709. 743—49. 827. 912. et quae supra (pag. 6 s.) de his uersibus disputaui. Contra quae codici Vindobonensi propriae sunt, eae scripturae non eiusmodi sunt, quibus tertia ab E et A discrepans recensio repraesentetur. Quod si quis apparatum criticum editionis Richteri Peiperique oculis perlustrauerit, intelleget. Omnes locos hic recensere longum est.

Nimirum nemo negabit forte fortuna hic vel illic ueram scripturam codicem V praestare. Quod plerumque eis fit locis, quibus prima codicis Flor. manus non iam agnosci potest. Sic Hf. u. 112 cum V legendum est 'uota' (E^2 exhibet 'iam odia' et sic A); ib. u. 116 V recte exhibet 'me uicit et se uincat' (AE^2 me

Hf. 112 iam odia AE^2 (in ras).
„ 116 me pariter AE^2 (in ras).
„ 163 turbine magno spes sollicitae AE^2 (E^1 omiss).
„ 240 que (leg. quae) AE^2.
„ 190 ordine AE^2 (in ras. vocis VIIII litteris constantis).
„ 263 tremis AE^2 (E^1 tremit).
„ 374 sociemus AE^2 (sociemur),
„ 481 *Lyci nomen adiectum est* AE^2 (E^1 *personae notam omisit*).
Oed fr. 123 uerba AE^2.
Troad 199 debitos manibus meis AE^2.
Omissi uersus in margine a manu secunda ascripti sunt.
Hf. 89 AE^2 (in marg.) E^1 *om.*
Hf. u. 360 AE^2 'in marg.' E^1 *om.* Thy. 597. 865. Phäd. 1090. 1123. HII. 919,20. 815,16. 1795. Nec tertia manus quam codex Florentinus passus est, cum recensione A. non consentit:
Thy. u. 524 pendete AE^3.
„ 864 spicula Chiron AE^3.
„ 896 quidem AE^3.
Ofr. 252 reum AE^3
Phäd. 448 hic quidem ueniat miser AE^3 (E^1 ille cum uenia est miser).
H. II. u. 410—42 *desunt in* E^1, *annotauit* E^3 *in margine: defic h. ml'tum.*


pariter (in ras [cf. Schmidt l. l. pag. 796]). *Primae* autem codicis Florentini manui codex Vindobonensis utique posthabendus est.

Ex tota hac de codicibus disputatione ad finem iam perducta haec consequi mihi uidentur:

Ad unum eundemque codicem archetypum saeculo II exaratum (cf. pag. 8 s) omnes qui quidem hodie extant codices redeunt, archetypum dico iam nube ineptarum interpolationum oppletum, multis corruptelis infectum (cf. pag. 5 ss). Hunc fontem poetae ipsius chirographum fuisse ut suspicemur, tantum abest, ut grauissima argumenta hoc refutent (cf. pag. 11 s. 14.). Ex illo archetypo duae diuersis temporibus factae recensiones manarunt (pag. 8.) Quarum altera emendatior saec. III facta hodie excerptis Thuaneis et codice Florentino repraesentatur (cf. praef. edit pag. IIII), altera deterior saec. IIII exeunte uel ineunte V facta omnibus quotquot restant codicibus. Deterioris recensionis scripturae tantopere a recensione E discrepant, quod auctor huius recensionis codicem archetypum iam deprauatiorem, multis locis scriptura aut prorsus oblitterata aut difficili ad legendum ante oculos habuit, tales autem locos ex arbitrio et pro prudentia sua expleuit. Porro autem quae non intellegebat aut quae pro corruptis habebat — re uera incorrupta — siue quod Annaeanum dicendi genus perspectum non intellegebat, temere mutauit (pag. 10 ss.). Nimirum non ab initio ita deprauata erat recensio A, ut hodie codicibus repraesentatur. Testantur hoc et fragmenta Ambrosiana quae quamquam eis conuenit cum recensione A, tribus tamen locis (Med. u. 219. 266. 268. cf. praef. pag. XXXII) cum recensione E consentiunt, et codex Melisseus et codex Vossianus, nunc quidem deperditi, quorum scripturae saepe cum E congruunt. Sed si certam recensionis A imaginem animo fingere uolumus, nihil restat nisi ut editione Aldina utamur, quia primus rec. A liber hodie non extat (cf. praef. pag. XXXVIII). Tanto autem interuallo temporis, quanto editio Aldina (MDXVII) a primo recensionis A libro distat, in dies magis scripturas degenerasse, naturae rerum conuenit. Codex autem Vindobonensis neque recensionis E libris adnumerandus est, neque diuersam ab E et A recensionem praestat, sed in numero recensionis A codicum uersatur. Manauit autem huius codicis pars quae Herculem furentem continet, ex meliore quodam

recensionis A libro passim emendato ex exemplari recensionis E (cf. pag. 19.)

Liceat omnem codicum Annaeanorum progeniem et cognationem hoc artificio repraesentare:



CAPVT II.
De Phoenissarum quae uulgo feruntur fragmento.

Inter nouem illas tragoedias quae ab antiquissimis temporibus Senecae nomine circumferuntur — nam *Octauiam* non esse Senecae constat — exstant 664 uersus qui usque ad Gronouium '*Thebais*' inscribebantur. Postquam Gronouius codicem Etruscum in lucem protraxit, his uersibus nomen '*Phoenissis*' inditum est, quia ille codex hanc inscriptionem praebebat (cf. ed. Gron. a MDCLXII pag. 167).

Hos uersus non unius fabulae reliquias esse posse, iam dudum uiri docti intellexerunt. Primus haud scio an D. Heinsius fuerit, cum dicat . . . 'quare cum tragoediam unam non posset (et quis eruditus hoc neget) duas nobis declamationes dedit' (Sen. trag. c. J. J. Scaligeri anim. ed D. Heinsius MDCLI pag. 515. Subsecuti sunt deinceps W. A. Swoboda (Senec. trag. übersetzt von W. A. Swoboda Vol. III. pag. 276), Schöne (allgemeine Schulzeitung a 1831. abt. II. pag. 1029), B. Schmidt (de em. pag. 76). Explicatius uero hanc rem primus G. Richter (de Sen. trag. auct. pag. 21ss.) tractauit[2].

1) Quam ephemeridem evolvere non potui, quia in bibl. Lipsiensi deerat.

2) Quae nuperrime C. E. Sandström in libello qui inscriptus est „de L. Annaei Senecae commentatio" [Upsala Universitets Arsskrift. 1872] de his fragmentis (pag. 78) disputauit, uix digna sunt mentione. Nihil noui Sandström adtulit.

Vel obiter perlegentem non fugit illos 664 uersus in duas partes diuidi, quarum prior uersus 1—362, posterior uersus qui secuntur usque ad finem continet. In priore enim parte inde a primo uersu ad uersum 130 usque Oedipum priuatum oculis cum corporis morbo tum animi dolore confectum, Antigona sola duce ac comite circa Cithaeronis saltus errantem uidemus Taedet eum uitae. Oppressus est et afflictus miseria atque aerumna. Mortem sibi uult consciscere, quasi unicum remedium quo uitae ex laboribus malisque se expediat. Et in Cithaerone illo monte e uita excessurus est; ubi quasi cunae steterunt, ibi sepulcrum sit; ubi iam dudum infans animam efflare debuit, ibi tandem senex expiret patrique debitas soluat poenas. Orat atque obtestatur filiam ut se deserat. Nullo sibi duce opus esse hac in suprema uia. Contra Antigona quoquo modo patrem de hoc consilio depellere conatur; dicit se nunquam eum deserturam esse; quocumque eat, semper eum se prosecuturam; omnes iam calamitates eum passum esse monet, neque quicquam ultra timendum esse. Dedecere autem uirum malis cedere. — At omnia in inritum cadunt. Permanet Oedipus in consilio. 'Memet ipsum fugio' exclamat Oedipus. Denuo Antigona patris animum commouere tentat. Unam restare caussam dicit Antigona, quae patrem ne mortem sibi consciscat, moueat. Per patrem liberos consociandos esse qui odio atque inuidia flagrantes alter alteri bellum inferant. Componat, orat Antigona, fratrum infestorum discordias imminensque bellum reditu suo prohibeat. Sed haec quoque frustra. Tantum abest ut liberorum animos pater reconciliaturus sit, ut diras ei imprecetur. — Tum adest nuntius Thebis missus qui Oedipum arcessat. At Oedipus recusat; nunquam se rediturum esse iurat:

u. 358 '*nemo me ex his eruat*
siluis: latebo rupis exesae cauo
aut saepe densa corpus obstrusum tegam,
hinc aucupabor uerba rumoris uagi
et saeua fratrum bella quod possum audiam.'

Hoc igitur argumento Oedipus firmum stabileque nunquam redeundi consilium iniisse intellegitur. Pariter apparet Antigonam se nunquam patrem solum relicturam professam esse.

Quid uero porro? Subito Thebas ex illa solitudine translati Antigonam apud Jocastam matrem commorantem uidemus. Non

modo prorsus oblita esse uidetur, quod paucos ante uersus promiserat, nunquam se a patris latere decessuram esse, sed ne uno quidem uerbo miseri patris mentionem fecit. Contra matrem impellit, ut infestorum filiorum animos in gratiam reconciliet ac fraterni quod imminebat belli discidium componat. Jocasta filiae morem gerit. Sed reconciliatio gratiae quam instituit, male ei succedit. Matre spectante fratres altercatione atque iurgio exardescunt. Medio hoc in iurgio fabula inciditur.

Haec duo argumenta, quorum alterum ad extrema Oedipi occaecati fata, alterum ad Eteoclis et Polynicis discidium spectat, in unam fabulam a poeta coniungi non posse, neminem uideo qui neget. Nam non tam subito Antigonam consilium mutantem facere poeta poterat. Omnia esse ficticia uiderentur, si Antigona tamen patrem deseruisset, quamquam prius ad uitae usque finem eum se prosecuturam esse promiserat. Ac ne quis dicat Oedipo mortuo rediisse Antigonam, nihil in posteriore parte, ubi de Oedipo sermo fit, proditur, ex quo hoc conligere nobis liceat Potius etiamtunc in exilio uitam degere Oedipus fingitur [cf. annot. Farnabi ad Phoen. u. 496. 552. (=134. 189 ed. R. P.) in edit. a. MDCXXXIII pag. 291 et 83]. Idem obstat quominus per nuntium illum Thebas reductum esse Oedipum credamus. Nec hoc quidem Seneca fingere potuit, nisi forte grauissime in artis dramaticae leges peccare uolebat. Talia uero uitia quamuis prauo iudicio Senecam tragicum fuisse putes, nunquam commisit. Adde quod Jocastae meditationes initium alicuius fabulae plane respondens Annaeanis moribus esse apertum est. Praeterea in rebus metricis discrepantias quasdam interesse inter duo fragmenta G. Richter (de Senec. trag. auct. pag. 22s.) nos docuit.

Quodsi sine ulla controuersia haec duo fragmenta in duas partes discernenda esse constat, oritur quaestio, quarum nam fabularum partes haec fragmenta sint?[1])

Quod attinet ad alterum fragmentum (uu. 363—664.), haud

1) Nuper Braunius (Mus. Rhen XX. p. 272) haec duo fragmenta in unam fabulam conglutinare studebat sed nemini persuadebit. Nam ut leuiora omittam mira illa de origine opinio quam animo informauit neque simplicitatis commendationem habet et prorsus falsa est, quod nunquam Seneca duorum poetarum fabulas in unam contaminauit. Cf. quae infra de Sen. arte dramatica disputaui.

dubie hi uersus reliquiae sunt fabulae, cui idem atque Euripidis Phönissis argumentum subiectum erat. Quomodo Seneca in Phönissis componendis Euripidem secutus sit quoque modo recesserit ab Euripide, id quadamtenus coniectando assequi possumus. Hanc esse oeconomiam Annaeanae fabulae mihi persuasi:

Primo actu quo oeconomiam totius fabulae Seneca exponere solebat (u. pag. 38), Antigona matrem, ut fratrum infestorum animos reconciliet, impellit (u. 1–80). Actu secundo conueniunt fratres; mater se interponit; at frustra; ueniunt fratres in altercationem. Finis huius actus iam periit. Tertio actu contineri illam teichoscopiam puto, quam Senecam non omisisse apud me in confesso est, quippe quae ansam longarum descriptionum ac turgidarum orationum praebuerit. Quas quantopere amarit Seneca, nemo nescit! Ineunte quarto actu nuntius de pugnis ante Thebarum portas commissis, ut apud Euripidem, Antigonam Jocastamque et ciues certiores facit. Finem huius fabulae eundem quem Euripideae fabulae fuisse suspicor, nisi quod Oedipus non iam in scaenam prodit, quia in primo actu exulare fingebatur. Apparet in uniuersum Senecam imitatum esse Euripidem. Recessisse eum ab illo, quod prologum Euripidis omisit quem Seneca nusquam ita, ut stemma alicuius gentis enarraretur, usurpauit. Praeterea quae perturbat conexum Euripideae fabulae (uu. 638–1066 ed. Nauck. [638—1074 ed Hermann cf. eiusdem praef. pag. XVI]), ea pars omissa est a Seneca, si per analogiam ceterarum fabularum iudicare mihi licet. Etenim in Senecae Medea illud Euripideae fabulae epeisodion in quo Medea et Aegeus inter se conlocuntur (u. 663—763 ed. N.), quippe quod nihil ad rem faciat, omittitur. Inter singulos actus chori cantica inserta sunt, quod Senecam constanter fecisse primus R. Peiper (Obseru. lib. [Vratisl. a MDCCCLXIII ed. programmate] pag. 34) obseruauit.

Quaeritur nunc, cuius fabulae sint uersus 1–364, quemque poetam Seneca imitandum sibi proposuerit, Cum plerumque Euripidem imitatus sit Seneca (cf. pag. 35), naturae rerum conuenit, si circumspicimus num Euripides fabulam similis argumenti composuerit.

Et extant fragmenta quaedam Euripidis fabulae quae 'Οἰδίπους' inscribitur. Sed quae genuina sit forma huius fabulae in tanta fragmentorum paucitate, difficillimum est coniectando assequi.

Sed talia pudorem uerecundiamque laedunt. Porro Oedipus caecus Thebas uenisset et eiusdem generis multae aliae ineptiae. Itaque si ad ineptias deduci nolumus, occaecatio media in fabula ponenda nobis est, quod iam Welcker et G. Hermann recte statuerunt. Quodsi Laii socii Oedipum *Πολύβου παῖδα* uocant, consequens est, ut tum cum Oedipus parricidii conuincebatur, neque Oedipus neque ceteri illum esse filium Laii intellexerint.

His praemunitis haec fabulae oeconomia efficitur. Prologi haud scio an sit hoc argumentum: Laius uino grauatus ac dei responsi oblitus Jocastam grauidam fecisse ex eaque Oedipum genuisse narratur[1]) filiumque expositum esse[2]). Tum fortasse in prologo enarratum est, Laium iter fecisse in itinereque interfectum esse. Sphingem Thebanorum fines inuasisse; Creontem edixisse, si quis carmen soluisset, ei regnum ac sororem daturum se esse[3]). Tum Oedipum Thebas uenisse; Sphingisque[4]) carmine soluto Jocastam in matrimonium duxisse ac regem Thebanorum factum esse. — In fabula ipsa Oedipus rex fingendus nobis est. Credit se Polybi filium esse. De eis quae ei acciderant, nihil prodit, non quo sibi conscius Laium se interfecisse id

'*mit diesen worten hat Euripides nach seiner gewonheit die überlieferung gegen die kritik seiner zeitgenossen zu wahren, scheinbar zu erklären gesucht, warum Oedipus schwieg von all den gehabten abenteuern und wie alles gar wohl so habe kommen können, wie geschehen.*'

1) cf. hyp. ad Eurip. Phön. (schol. in Eur. trag. ed Dind. III. pag. 7): *ἄντινων θεσπισμάτων τῆς τῇ γυναικὸς Ἰοκάστης ἐπιθυμίᾳ καὶ ἡδονῇ ὥρπεσ* †† [lacunae signa posuit G. Hermann praef. ad Eur. Phön. pag. 6; voce *Aeschyli* uerba supplentur a Schneidewino (l. l. pag. 178) quia quae secuntur inde ab Euripide peruulgabantur] *ἐκλαθόμενοι Λαΐος ἢ ὥς τινές φασιν μιᾷ τῶν ἡμερῶν βαρυνθείς τῷ οἴνῳ καὶ συνελθών τῇ αὐτοῦ γυναικὶ Οἰδιπόδα σπείρει*

2) Utrum Laios exponi iusserit filium an Iocasta ut apud Sophoclem (OR u. 1173) in medio relinquendum est. Iocastae iussu expositum esse filium Hyginus (fab. XVI.) tradit: 'Laio Labdaci filio ab Apolline erat responsum de filii sui manu mortem ut caueret. Itaque Iocasta Menoecei filia uxor eius cum peperisset, iussit exponi.'

3) Hyginus: 'Rex re audita per Graeciam edixit qui Sphingae carmen soluisset, regnum se et Ioastam sororem ei in coniugium daturum.'

4) Falsum esse G. Hermannum cum Oedipum regem factum esse negaret, neque quicquam de hac re nobis traditum esse contenderet (l. l. p. 797) iam Welcker (l. l. pag. 554 annal. 17) commemorauit. —

celet, sed quia dedecere uirum sapientem putat de calamitate sua ac miseria quid aliis prodere. Hanc esse sententiam uerborum *ἐκμαρτυρεῖν* e. 5. 9. supra (pag. 27 annot[1]) dixi.

Interim Thebis pestilentia incidit[1]). Inquiritur in Laii interfectorem. Conuincitur Oedipus fortasse per illos *θεράποντες* quos ut in Sophocleo Oedipo Rege (u. 758) nuntium arcessitos tum esse suspicor. Qua re patefacta Creon Oedipum occaecari iussit. Hoc per nuntios (id est illos socios) nuntiatur.

Huc igitur reuocandi sunt uersus *ἡμεῖς δὲ Πολύβου παῖδα* e. q. s. — Ex ceteris fragmentis Oedipum in exilium ire iussum, ne ab uxore filiisque secernatur, orare Jocastamque coniugem se prosecuturam esse polliceri apparet. Tum nuntius Polybum Corinthi esse mortuum affertur. Atque tum nescio quo casu alterum Oedipi scelus patefactum est[2]). De ultimis et Jocastae et Oedipi rebus nihil certi conicere possumus. Fortasse Jocasta mortem sibi non consciuit[3]).

Quo igitur his ambagibus uenimus? Ad illud uidelicet, in uersibus 1—133 Annaeani fragmenti nihil inesse, unde Senecam Euripidis fabulam imitatum esse quadam cum probabilitate conicere nobis liceat. Nihil igitur restat nisi ut ex uersibus 1—133 integram fabulam restituamus.

Atque ut candide dicam quid sentiam hos uersus reliquias esse suspicor Senecae

'OEDIPI CITHAERONENSIS'

Hoc ut coniciam, impellor, quod quasi cardo omnium Oedipi uerborum est desiderium montis Cithaeronis. Illuc se iturum Oedipus iterum atque iterum exclamat: Oed. frag. u. 12:

'*Ibo, Ibo, qua praerupta protendit iuga*
meus Cithaeron' e. q. s.

1) Hyg. fab. LXVII.: 'Interim Thebis sterilitas frugum et penuria incidit ob Oedipi scelera'. —

2) Hyg. 'Dum haec Thebis geruntur Corintho Polybus decedit. Quo audito Oedipus moleste ferre coepit, aestimans patrem suum obiisse, cui Periboea de eius suppositione palam fecit. Id *Itemales* senex qui eum exposuerat, e pedum eccatricibus et talorum agnoscit.' *Itemales* non recte sese habet. Equidem Hygini esse puto: *idem alius senex* e. q. s.

3) cf. schol. ad Eur. Phön. u. 61 (Dind. III p. 54) et quae Welcker (pag. 545—7) disputauit.

u. 27. sqq.

'est alius istis noster in siluis locus
qui me reposcit, hunc petam cursu incito,
non haesitabit gressus, huc omni duce
spoliatus ibo. quid moror sedes meas?
Mortem[1]) *Cithaeron redde et hospitium mihi*
illud meum restitue: ut expirem senex,
ubi debui infans. recipe supplicium uetus.
Semper cruente saeue crudelis ferox
Cum occidis et cum parcis; olim iam
tuum est hoc cadauer. perage mandatum patris
iam et matris e. q. s.'

Quodsi Senecam primo actu fabulae totius oeconomiam exponere solere cogitaueris — quod statim plenius monstrabimus, — haec nostra coniectura probabilior uidetur. Oedipum in Cithaeronem montem migrantem induxit Seneca fortasse commotus Soph. O. R. u. 1451:

ἀλλ᾽ ἔα με ναίειν ὄρυσιν ἔνθα κλῄζεται
οὑμος Κιθαιρὼν οὗτος, ὃν μήτηρτέ μοι
πατὴρ τ᾽ ἐθέσθην ζῶντι κύριον τάφος,
1457 *ἵν᾽ ἐξ ἐκείνων οἵ μ᾽ ἀπωλλύτην.*

Et quod in Oedipi moribus adumbrandis a Sophocle recessit, caussa huius rei haec esse mihi uidetur, quod si Oedipum hominem desperantem de omnibus suis rebus faciebat, plus facultatis ei datum erat, longarum atque copiosarum declamationum conscribendarum quodquam sit Senecae tragici ingenio atque indoli conueniens, nemo nescit. Ceterum autem Oedipi Colonensis Sophoclei oeconomiam secutus esse uidetur. Nam nuntius Thebanorum aduenit qui Oedipum Thebas arcesseret. Affuerint deinceps Creon et Polynices ut apud Sophoclem. Qui fuerit Oedipi uitae exitus, in medio relinquendum est.

Nam ex uerbis (Oed. frag. u. 110.):

'Flammas potius et uastam aggerem
Compone in altos ipso me inmittam rogos e. q. s'.

1) sic E. prorsus inepte editores A secuti scripserunt: quid moror? sedes meas m o n t e m Cithäron redde. cf. Gron. ad hunc locum.

2) haud recte punctum inserunt editores post uetus'.

flammis Oedipum corpus tradidisse caue ne conligas, quia statim adicit u. 114:

ubi saeuum est mare
duc ubi sit altis prorutum saxis iugum.
Ubi toruus rapidus ducat Ismenos uada,
si dux es. Illuc ire morituro placet?

At quaerat quispiam, tantas discrepantias num sibi indulserit Seneca? Sane indulsit sibi. Qua de caussa liceat quaeso mihi paulisper deuertere et de arte dramatica ac compositione fabularum et de imitatione Senecae aliorum qui praeierant poetarum, obseruationes quasdam inserere, ut ab hac parte sententiae nostrae nihil obstare uideatur.

Ac artis dramaticae Senecae singularis est mos, ut in primo actu nobis indicet totius fabulae oeconomiam atque exitum ac plerumque quidem unius earum quae prodeunt postea personarum aut dei deaeue meditationibus. Nunquam autem a genealogia enarranda incipitur, ut apud Euripidem in prologis.

Sic ineunte fabula *Medeam* cum luctu ac fletu querentem ac lamentantem conspicimus, quo coniunx infidus se repudiauerit. Orat atque obtestatur deos, ut sibi adsint, nam ulciscendum sibi esse (44—51): *uxorem* enim nunc esse laesam. Coniugi se nouae soceroque ac toti stirpimortem perniciemque moliri uelle (13—18). Jasonem autem per liberos puniendum esse. Jam paratam esse ultionem; nam se peperisse. — Nondum ut ipsa manu liberos trucidaret, in mentem ei uenit; sed facit Seneca hoc ei uerbum excidere quasi omen futurae caedis. Qui uero recitata haec uerba audit, quod instat, iam sentit (cf. Gron. ad Med. u. 25). Quid uero porro? Exeunte fabula quae est condicio rerum? Peracta sunt nefanda illa scelera quae Medea praesagiuerat. Incendio flagrat tota regia; flammis absumpti sunt Creon eiusque filia et spectante Jasone filii trucidantur a matre furente.

Herculis furentis initio Junonis meditationibus tolius fabulae oeconomia exponitur. Dicit Juno se iam saepissime stupris Jouis laesam esse, omnium autem liberorum spuriorum maxime Herculem sibi doloris quasi faces admouisse. Jam omnia se ut illum pessumdaret, tentasse, sed frustra. Unam tantum uiam restare quam ingressurus sit. Per se ipsum modo Herculem perire posse. Furore Herculis

mentem occaecare se uelle. Sic Herculem sese uicturum mortemque sibi reuerso ab inferis iterum optaturum esse. Se sua ipsius manu tela mortifera directuram esse.

Haec omnia deinceps in scaena aguntur. Hercules reuersus ab inferis Lyco tyranno interfecto subito furore atque insania occaecatus liberos suos ac coniugem, Lyci infantes uxoremque esse opinatus, telis transfigit. Ubi mens ei reuenit, diras sibi imprecatur mortemque sibi uult consciscere. Vix Amphitryonis patris precibus prohibitus est.

De *Hercule altero* uide quae infra (cap. III) disputaui.

Ineunte *Thyestea* fabula Tantali umbra ab inferis excitata adest. Tantalo quid sibi faciendum sit ignaro Furia, ut omnia terrore ac scelere expleat, imperat. Nondum enim satis sceleris actum sse; nondum liberos deflere Thyestem; nondum patrui dextra nepotes esse caecos, Proinde spectante et duce Thyeste epulae instruantur paterque filiorum sanguinem potet. Me hercle. Peractum est exeunte fabula quod furia diuinarat:

u. 47 *fratris et fas et fides ius omme pereat.*
52. *Misce penates odia caedes funera.*
Arcesse et imple Tantalo totam domum.
56. *Thracium fiat nefas*
maiore numero liberos deflet suos
nondum Thyestēs dextra cur patrui uacat?
ecquando tollet? ignibus iam subditis
60. *spument aena, membra per partes eant*
discerpta, patruos polluat sanguis focos.
Epulae instruantur e. q. s.
65. *Jeiunia exple mixtus in bacchum cruor*
spectante te potetur e. q. s.
101. *Hunc, hunc furorem diuide in totam domum.*
Sic, sic ferantur et suum infensi inuicem
sitiant cruorem. sentit introitus tuos
domus et nefando tota contactu horruit.

Senserat profecto Tantali introitus domus et nefando tota contactu horruerat. Simulata fide et reconciliatione frater fratrem deceperat eiusque liberos abstuleratac nefaria manu trucidauerat, trucidatosque atque laceratos patri ignaro epulandos ac cruorem uino mixtum potandum apposuerat. Sub epularum

finem patri quas dapes absumpsisset, scelesto exultans gaudio Atreus aperuerat.

Similiter per Thyestis umbram primo actu *Agamemnonis* quid rei agatur, certiores fimus, quod nouo mihi argumento uidetur esse Agamemnonem Senecae tribuendam esse (uide infra). Iniurias patri inlatas ut ulciscatur Aegistheus filius Agamemnonis caede Thyestes impellit.

Ad *Oedipum Phädram Troades* accedimus, inter quas fabulas hoc intercedit non tam disertis uerbis quid rei ageretur, Senecam exposuisse.

Initio *Oedipodeae* fabulae Oedipus anxium se esse atque animo contractum ne sibi quid accidat mali, queritur. Nam mirum esse quod in communi omnium calamitate ac miseria sibi soli parcatur. Quid sibi accidat Oedipum iam scientem facere Seneca non potuit. Sed lectori haec significatio sufficit. Itaque hoc quoque prologo fabulae argumentum continetur.

Simili modo Seneca in reliquarum fabularum primo actu rem instituit. Post canticum quo Hippolytus famulis sociisque uenationis uaria loca ac munera dispertit celebratque Dianam laudibus Phädra et nutrix inducuntur. Phädra se Hippolyti amore ardere nutrici fatetur; diutius amorem comprimi non posse. Hippolyto omnia se fateri uelle. Nutrix eram tali a consilio dehortatur; frustra Hippolyti animum Dianae pronum, Venere alienum — id iam cantico significatum — flectere ac mollire Phädram tentaturam esse. Memor sit, orat nutrix, Phädra coniugis qui nunquam laesae fidei ueniam daturus sit. Vides, in quo summā huius fabulae uertitur, nefarium dico Phädrae amorem primo actu significatum esse.

Eodem modo Seneca rem in *Troadibus* instituit.

Quid ex his sequitur? Hoc opinor Senecae constantem fuisse morem ut quid rei ageretur, magis minusue disertis uerbis ineunte fabula nobis exponeret. — Ideoque haud sine ratione rem me instituisse puto, si hanc firmam stabilemque legem secutus Oedipi et Phönissarum fabulas restituebam.

Commemorandum nunc est, actus finiri cantico (cf. pag. 25), raro inserta esse medio actui cantica quae conlegit Peiper (Obs. lib. pag. 37), semel tantum fabulam incipere a cantico (Phädra); nusquam excepto Hercule II (de quo conferas uelim quae capite III disputaui) fabulam cantico finiri. —

Deus ex machina nunquam a Seneca usurpatus est, etiamsi

in fabulis graecis quas imitabatur extabat; scaena[1]) mutatur in Phönissarum fabula post u. 80 et in Hercule II post u. 235 atque duo chori in Agamemnone (et fortasse in Hercule II) inducuntnr. Graecorum tragicorum more Seneca nouas in scaenam prodire personas uersibus quibusdam notare solet. cf. Hf. 205ss. 332ss. Phäd. 392ss. 590ss. 840ss. 998. 1163. Oed. 206ss. 292ss. 859ss. 932ss. 1017ss. 1025ss. Troad. 531ss. Ag. 409ss. 813sr. H. u. 704ss. 1132ss. 1610ss. — Hac in re quoque Agamemno et Hercules II cum ceteris fabulis consentiunt. Postremo denique non praetermittendum est quod H. Weil primus intellexit in commentatione francogallice scripta *'la régle sur des acteurs dans les tragédies de Sénèque'* [Revue archéologique 1865 I pag. 21ss.], Senecam Horatianum illud *'nec quarta loqui persona laboret'* (A. p. u. 192) seuere sed singulari modo obseruasse. —

Quaestione de scaenicis Senecae legibus ad finem iam perducta progredimur nunc ad alterum quod proposuimus, ut quos tragicos graecos quoque modo Seneca imitatus sit, paucis exponamus.

Aeschylum semel in Agamemnonis fabula imitatus est. Sophoclis fabulas bis uel ter (in Oedipo Cithäronensi et fortasse in Hercule II) secutus est. Plerumque autem Euripidem imitandum sibi proposuit. Sic Senecae in Herculis furentis Phoenissarum Phaedrae Troadum Medeae fabulis componendis Euripidis fabulas quae inscribuntur *Ἡρακλῆς μαινόμενος Φοίνισσαι Ἱππόλυτος Τρῳάδες Μήδεια* ante oculos uersatas esse apertum est. Thyestis fabulam Annaeanam imitationem fuisse Euripideae fabulae quae *Κρῆσσαι* inscribitur, apparet ex duobus Aristophanis Proagonis fragmentis (frag. II, III apud Meineke frag. com. vol. II² pag. 1138):

II. *ἐγευσάμην χορδῆς ὁ δύστηνος τέκνων*
πῶσ ἐσίδω ῥύγχος περικεκαύμενον.
III. *οἴμοι τάλας, τί μου στρέφει τὴν γαστέρα;*
βάλλ' ἐς κορακας πόθεν ἂν λάσανα γένοιτό μοι.

Quos uersus ex Euripidis Cressis petitos esse uersimile est

1) Etiam apud Graecos tragicos scaenam mutari notum est. cf. Aeschyl. Eum. u. 234 (cl. Herm. annotat et Schönborn die Skene der Hellenen pag. 213); Aeschyl. Choeph. 638 (cl. Schönborn l. l. pag. 223); Sophocl. Ai. 815. (cl. Nauck. praef. edit. 5 a. 1865 pag. 55. et Schönborn l. l. pag. 254.)

(uide Meinekium). Respondent his uersibus Senecae Thyestis u. 1034s (cl. u. 1045):

Quis hic tumultus uiscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? sentio impatiensonus.

Reliquum est, ut quam imitandi rationem Seneca inierit, paucis exponamus. —

Duae potissimum haud scio an sint res, de quibus quispiam num nostra et Oedipi Cithaeronensis et Phoenissarum restitutio sit uera, dubitare possit: primum quod in Senecae Oedipo Cithaeronensi alia est scaena quam in Sophoclis Oedipo Col., deinde quod Annaeana Oedipi morum descriptio prorsus abhorret a Sophoclea. Sed huius rei exempla reliquae fabulae nobis suppeditant. Ac primum quidem Annaeanae Phaedrae scaena statuitur Athenis, cum Euripidei Hippolyti scaena sit Troezene. Quod ad alteram attinet, apud Senecam Phaedrae et nutricis natura ac mores plane diuersi sunt ab earundem personarum moribus apud Euripidem. Etenim cum apud Euripidem Phaedra casta ac pudica Thesei uxor appareat qua inuita amor per nutricem Hyppolyto aperitur, contra nutrix semper incitet eram ut Hippolyto amorem confiteatur, apud Senecam incesto amore ardens Phaedra fidei coniugalis prorsus oblita frustra nutrice resistente Hippolyto ipsa amore se incensam esse patefacit. Tum reiecta ac repudiata ab Hippolyto non mortem sibi consciscit pudore confecta, sed ipsa Hippolytum apud Theseum calumniatur ac criminatur.

Quae cum ita sint, ab hac parte nihil nostrae restitutioni obstare mihi uidetur.

Ad ceteras fabulas transeo quarum discrepantias strictim et quasi in transcursu percensebo praesertim cum iam uiri docti hanc in rem inquisiuerint[1]). Atque ut ab *Hercule furente* incipiamus, apud Euripidem ab initio Lycus Amphitryonis interficiendi consilium inierat cum apud Senecam frustra Megarae castitate tentata crudeli morte Amphitryonem Megaramque multare constitueret. Deinde redeuntem Herculem apud Euripidem Theseus non comitatur, sed sub finem fabulae ut Athenas Herculem arcessat,

1) uide Swoboda (Senecae trag. übersetzt von Swoboda) et Widal (études sur trois tragédies de Sénèque imitées d'Euripide. Paris 1854. et qui nuperrime de hac re scripsit, Sandströmium. [de L. Annaei Senecae tragoediis commentatio, cf. praef. pag. 2].

Thebas uenit. Apud Senecam in scaena Herculis liberi atque uxor interficiuntur, cum in Euripidea fabula nuntius caedem referat. In Annaeana fabula Hercules furore caecus Lyci filios se conspicere opinatus suos occidit; contra apud Euripidem Hercules ingrauescente furoris ui Mycenas se proficisci ibique tandem aduenire et filiis coniugeque conspectis Eurysthei ante oculos habere imaginatur. Amphitryo apud Senecam, apud Euripidem Theseus Herculem ne mortem sibi consciscat, dehortatur. Iris et Lyssa apud Senecam prorsus omittuntur.

Ad *Oedipum* accedimus (cf. L. Köhler: 'L. Annaei Senecae trag. quae Oedipus inscribitur cum Soph. O. R. comp.' [prog. schol. Neuss. a. MDCCCLXV edit. pag. 2ss]). Ab Sophoclis Oedipo Rege Seneca eo discrepat, quod Tiresias ultro, non ut apud Sophoclem ab Oedipo arcessitus, in regiam una cum Mantone filio uenit; deinde quod Tiresias sacrificiis factis et Laii umbra ab inferis excitata Oedipum de Laii parricida certiorem facit. Quam falsus sit Braunius qui (Mus. Rhen. uol. XXII) Senecam hoc ex Statii Thebaide sumpsisse censuit dici nequit. Jam Peiper (suppl. praef. pag. 4) argumenta ad Senecae imitandi rationem spectantia attulit quibus Braunii opinioni astipulare uetamur.

Neque uero minus extrinsecus petita argumenta huic coniecturae obstant. Licet certis circumscribere finibus Papinii Statii aetatem non possimus, certum tamen est utique post Senecam uixisse Statium. Verisimile enim est Statii patrem inde ab anno DCCLXVIII ad annum usque DCCCXXXIII uixisse (Teuffel hist. litt. Rom.[1] §. 300. 3.); unde Statium anno DCCC natum esse conligere possumus. (Teuffel l. l. §. 303. 1.)

Atqui primum eius opus fuisse Thebaidem in qua elaboranda annos XII se uersatum esse ipse dicit, patreque uiuente iam singulas operis partes Romae recitatas esse scimus. Itaque Bernhardyi sententia inde ab anno DCCCXXI. usque ad annum DCCCXXXIII Thebaidem conscripsisse magis mihi arridet quam Dodwelliana. Dodwellius enim (annal. Stat. una cum annal. Quinct. et Vellii Oxon. MDCXCII ed.). Statium Thebaidem anno DCCXLIII confecisse putat (l. l. pag. 304).[1]) Satis autem

1) cf. Friedländer Darstell. d. Sitteng. Roms Vol. III. pag. 384: die Thebais war erst nach dem dacischen Kriege, also wol 93, beendet.

constat Senecam a. DCCCXVIII mortem obiisse[1]), Oedipi fabulam iam prius (fortasse a. DCCCXI [cf. Peiper suppl. praef. pag. 14 et h. l. censuram quae extat in nuntio philol. Vol. III pag. 81]) emissam esse[2]). Quae cum ita sint, siue cum Dodwellio (cuius in annalibus nullam inesse fidem post Bernhardyum [Hist. litt. Rom.[4] pag. 496 ann. 384] E. Grosse [obseru. in Stat. silu. spec. Berol. MDCCCLXI pag. 4—10] ostendit), siue cum Bernhardyo facis, nullo modo fieri potest, ut Seneca Statium sit imitatus.[3]) —

Atque ut ad Oedipum redeamus, iurgium illud inter Tiresiam et Oedipum apud Senecam desideratur, itemque sub finemfabulae illud Oedipi cum Creonte conloquium, pro quo Seneca sermonem Oedipi cum Jocasta substituit; tum quod Jocasta iterum in scaenam prodiit.

Maxime autem Seneca in *Troadibus* ab Euripide recessit. Prorsus omittuntur hae personae: Cassandra Menelaus Helena; contra nouae hae inducuntur: Phyrrhus, Agamemno Calchas Astyanax Polyxena (quae est muta persona). Deinde Seneca eo discrepat cum Euripide, quod ab Andromeda filium per dolum ab Ulixe abripi facit, cum apud Euripidem ultro suadente Talthybio filium Graecis tradat. Praeterea iurgium inter Agamemnonem et Phyrrhum de Polyxena inseritur a Seneca. — Concinunt eo quod et Astyanax e turri praecipitatur[4]) et Polyxena ad Achillis tumulum caeditur[5]).

De *Phaedra* iam supra (pag. 43[5]) disputaui. Adiecerim apud Senecam exeunte fabula deum ex machina omitti quia per Phädram

1) cf. Jonas de ordine librorum L. Annaei Senecae philosophi pag. 20s — et Tac. Ann. XV,60.

2) cf. Jonas l. l. pag. 46.

3) Praeterea de Neronis studio rerum magicarum cf. Friedländer l. l. pag. 645.

4) Hoc sumpsisse trag. Graec. poetas ex Hom. Il. Ω 735 adnotat scholiasta ad hunc locum: *ἡ διπλῆ ὅτι, ἐντεῦθεν κινηθέντες οἱ μεθ' Ὅμηρον ποιηταὶ ῥιπτόμενον κατὰ τοῦ τοίχους ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων εἰσάγουσι τὸν Ἀστυάνακτα.* cf. Lehrs de Arist. stud. hom.[1] pag. 181.

5) Troades esse partes superstites *duarum* olim integrarum fabularum a librario quodam in *unam* conglutinatas, quod Swoboda (III. pag. 99) suspicatur, omni caret probabilitate.

ipsam Theseo explicatio fit. Nuntii narratio de ultimis Hippolyti fatis in uniuersum cum Euripide concinit.

In *Medea* componenda maximam partem Euripidis uestigia premit, nisi quod conloquium illud inter Medeam et Aegeum apud Senecam omittitur et liberi Iasonis in scaena a matre trucidantur, leuiora ut omittam.

Senecam in *Thyestea* fabula Euripidem secutum esse supra (pag. 34) dixi. De fabularum discrepantia uide quae Welcker (1. l. pag. 680) disputauit. Scribit enim ita: 'Dass Thyestes auch bei Euripides nicht durch Atreus, wie bei Seneca . . . in sein Verderben gelockt war, sondern Atreus durch neue Unbill zur Rache angetrieben wurde, wie bei Sophocles, liegt deutlich vor' e. q. s.

De *Agamemnonis* et *Herculis II* fabulis uideas uelim quae capite tertio huius commentationis disputaui. —

Sed quid opus est plura? Satis iam elucere mihi uidetur Senecam nunquam seruile modo Graecos tragicos imitatum esse, sed hoc uel illud inuenisse uel nouasse. Restat ut significem — accuratius rem persequi nunc nihil attinet — caussas cur Seneca a Graecis discesserit. Ac primum quidem Seneca rem aliter instituit propterea quod maiorem uim in descriptionibus explicationibus, narrationibus, quam in actionibus ponebat, deinde quod oeconomiam fabulae magis concinnam reddebat neque ita episodiis dilaceratam, ut saepissime apud Euripidem, tum quod fabulas non scaenae dabat, sed recitatas esse uolebat[1]) (cf. Bernhardy Hist. litt. Rom.[4] pag. 418 et Schmidt l. l. pag. 719 annot 14, tum quod interdum res publicas illorum temporum significatione appellabat[2]).

Atque ut eo disputatio nostra unde declinauit reuocetur, restant nunc duae quaestiones, primum, num Oedipum et Oedipi et Phönissarum fragmenta in trilogiam coniungere uoluisse Senecam recte Peiper contenderit (Suppl. praef. pag. 18), deinde utrum Oedipi et Phönissarum quae supersunt fragmenta sint superstites olim integrarum fabularum reliquiae an sint principales partes quas Seneca primas et solas perfecerat (ib. pag. 19).

1) de recitandi more conferas uelim quae nuperrime Friedländer l. l. pag. 316 disputauit.

2) cf. Peiper suppl. praef. pag. 10. ss.

Vereor ne cuiquam Peiper hoc probet. Etenim si nulla opinione praeiudicata locos quos ex Senecae epistulis Peiper affert, examinaris, nihil in eis inesse uidebis unde haec opinio confirmetur. Scribit enim Seneca ita (epist. 65, 1. [ed Haase Vol. III. pag. 137]): '*Aliquid scripsi et quidem intentius quam soleo, dum cum materia difficili contendo et uinci nolo, donec interuenerunt amici, qui uim mihi afferrent et tanquam aegrum intemperantem coercerent. In locum stili sermo successit* e. q. s.'

ep. 72, 2 (ed Haase uol. III. pag. 170): '*Quaedam enim sunt quae possis et in cisio scribere quaedam lectum et otium et secretum desiderant. Nihilominus his quoque occupatis diebus agatur aliquid et quidem totis. Nunquam enim non succedent occupationes nouae: serimus illas, itaque ex uno exeunt plures. deinde ipsi nobis dilationem domus: „cum hoc peregero toto animo incumbam" et si hanc rem molestam composuero studio me dabo* e. q. s.'

Quid spectauerit Seneca, in tanta uerborum obscuritate meo quidem iudicio in medio relinquendum est.

Maxime autem quominus Peiperi opinionem probemus obstat, quod in Oedipo Jocasta mortem obiit, in Phoenissis iterum in scaenam prodit fratrumque animos reconciliare studet. Quod neglecturum fuisse Senecam, si reuera trilogiam Thebanam efficere animus ei fuisset, nemini puto Peiper persuadebit[1]).

At largiamur hos epistularum locos ad tragoedias spectare, concedamus Peipero ad ipsam Oedipodeam trilogiam spectare, tamen consequens non est, ut illi 664 uersus non esse possint superstites olim integrarum atque usque ad finem perductarum fabularum reliquiae. Dicit tantum Seneca (ep. 72, 2) se uersari in molesto multique sudoris labore; neque uero se interruptum esse aut cohibitum, quominus perficeret opus dicit.

Cum uero ex his epistularum locis nihil nobis suppetat, cum-

1) Peiper l. l. pag. 19: 'quominus hoc fuisse poetae consilium credas non obstat, quod in Oedipo Iocasta moritur, in Phoenissis fratrum discordiam componere studet, hanc ex Euripide, illam ex Sophocle romanus poeta uerterat, quem trilogiae ratio quae esset, facile poterat latere.' Iam censor Göttingensis (l. l. 82.) hoc castigauit: 'schwerlich würde sich der Dichter über Iocasta's Tod im Oedipus und ihr wiederauftreten in den Phönissen so leicht hinweg gesetzt haben, wie Peiper pag. 19 annimmt.'

que naturae rerum magis conueniat, illos uersus esse reliquias fabularum olim integrarum, temporum iniquitate uel alio casu deperditarum, donec certo ac firmo testimonio aliud edocti erimus, sententiam editorum oppugnabimus. Contra nostram si coniecturam amplexus eris, omnes expedientur difficultates. Postquam enim codex archetypus quorundam foliorum iacturam fecit, facile fieri potuit, ut a librariis insciis quae restabant in unam tragoediam — ut ita dicam — conglutinarentur.

[Reliqua pars huius dissertationis propediem uulgabitur.]

PAVLLVS HABRVCKER DE VITA SVA.

Natus sum *Fridericus Guilelmus Paullus Habrucker* Gumbinnae a. d. IV. Non. Sept. anni MDCCCLI patre *Friderico Guilelmo* tum rectore scholae urbicae Gumbinnensis, nunc pastore primario Memelensi, matre *Joanna Emma* e gente *Düringiana*, qui quod adhuc uiuunt deo gratias ago. Fidei addictus sum evangelico-luthericae. Ab anno aetatis nono usque ad octavum frequentaui decimum Gymnasium Memelense quod moderabantur VVDD *Gädke Kock Düringer*. Inde uere anni deinceps MDCCCLXXVIIII maturitatis testimonio munitus Berolinum migraui, ut philologiae operam darem. Berolini per semestre legentes audiui *Trendelenburgium Mommsenium Hauptium Kirchoffium Ernestum Curtium*. Tum *Lipsiam* me contuli, ubi per tres annos domicilium ac sedes habui. Scholis interfui *Ouerbeckii Zarnckii Brockhausii Lipsii Ecksteinii Wuttkii G. Voigtii Langii* imprimisque *G. Curtii Ritscheliique* cuius societatis philologae per biennium socius fui ordinarius. Ineunte auctumno anni MDCCCLXXII *Regimontium* redii, ubi usque ad hosce dies docentes audiui *Lehrsium Jordanum Schadiumque*.

Ex officina Hartungiana.
Regimonti.